


# Batavus somnians de bello Anglico-Batavico.



Tryck // / I25 B 14 c Br. 1665

Tillkomstår 1665.

Digitaliserad år 2019



National Library  
of Sweden

Hist. Nedel  
Polit  
(Pr.)  
1665

**BATAVUS SOMNIANS**

DE

**Bello Anglico-Batavico.**



*Sumptibus Civitatis Amstelodamensis.*

1665

## I. N. D.

**B**Atavi confæderati, antehac exigua Cohors à tem-  
 pore Phil. Sec. R. H. cujus imperio ex odio Inquisitionis,  
 duri Regiminis & immoderatorum onerum se subtraxit, ar-  
 mis contra Dominum suum modico annorum curriculo fe-  
 lix reddita, postea accessione aucta, in septem Provincias, con-  
 stante tamen jure superioritatis cuius Provinciam, distributa, re-  
 tenta antiquam cujuslibet prærogativam, in Rempublicam quasi unam  
 quoad fœdera, bellum, & pacem concrevit. Cum ætate auge-  
 bantur Reipublicæ vires, & ubi hæc adoleverat, assumpsit *Præpo-*  
*tentium* titulum, medium inter Regem & Rempublicam. Ex pro-  
 spero belli Hispanici eventu omnibus ferè formidolosi evadebant,  
 ita ut & in partem amicitiam & armorum à Gallis caperentur. Pri-  
 mordiam libertatis ope Elisabethæ Reginæ Angliæ jacta in dies be-  
 abat augmentum, fervidè auxiliantibus Gallis, percitis odio con-  
 tra Hispanum & consortio belli. Ancillabatur felicitati huic offen-  
 sus ab aula Hispanica Wilhelmus ex domo Nassovica ortus, ex  
 hæreditate collateralis materna factus Arausionensis Princeps, quem  
 sibi elegerant Imperatorem militiam, & quidem fausto sidere, cum  
 non minus strenuus quam felix esset Dux. Orsa semel felicitas con-  
 tinuavit in filio Mauricio, aucta in hujus fratre Friderico Henrico,  
 & continuata usque dum concluderetur anno 1648 d.  $\frac{20}{30}$  Januar.  
 pax Hispanico-Batavica, relictis locis occupatis, & cessam ab Hispa-  
 nis supremam Imperii auctoritate, quæ cum armis retineri non pos-  
 set, spe recuperandi amissi exhaustis viribus cedi quam disputari  
 maluit. Durum erat multis illos in fastigio supremæ potestatis vi-  
 dere, quos in æquo conspexerant; solito humanæ naturæ more, quod  
 à nullis magis exigatur modus fortunæ, quam quos prima fortis  
 secundæ rudimeta extulere supra alios. Offendere tamen non po-  
 terant hos, quos arma Hispanica & tot clades reddiderant cele-  
 bres, orbi formidolosos, & metuendos; quodq; hi impune lacesse  
 nequeant ab edocis exemplo falcium Hispaniæ, quibus cum ter-  
 tia fere Orbis pars reverentiam & obsequium præstet, tamen ne-  
 cessitatem fidelitatis & obedientiæ tam exiguæ Mundi particulæ  
 coactè remisissent. Ruminabant illa alto secum pectore, moti ma-  
 gnitudine famæ, & ebrii ex fortuna Confæderati Batavi; Ac dum  
 de

de se magna ubi vis audiebant, fautorum suorum, imo suimet-  
 ipsus, obliti, & molesti aliis, sibi graves, & parum grati versus ad-  
 jutores & authores libertatis suæ evadebant. Beneficia enim tunc  
 oneri sunt, quando exsolvi nequeunt. Sic Fæderatos Gallos dese-  
 rebant in vado, cum contra tenorem fæderis pacem cum Hispanis  
 pangerent, devolutâ tota belli mole in Gallos: Non hîc benefi-  
 cium rependebatur beneficio, sed addebatur onus oneri. Quod  
 contra Domum Nassovico - Arausionensem sub moderni Princi-  
 pis patre mente conceperant, hoc Amstelodamenses Patres Con-  
 scriptos non fugit. Parva erat avitæ Arausionensium virtutis men-  
 tio: jaciebantur sermones de fortuna hujus domus, & quantum re-  
 ditus annui per Batavorum beneficia isti accreverit: Alto silentio  
 involvebantur amissa, & quibus Arausionenses amore Batavorum  
 in Burgundia, Regno Neapolitano, & alibi sub Hispanis excide-  
 rant. Nulla meritorum Arausionensium mentio. Omnia titulo  
 lucrativo, nihil tribuebant oneroso. Aliquoties iniquè habere ma-  
 trimonium cum moderni Regis sorore contractum; imo & ipsi Re-  
 gi sub turbulento Cronvelli Regimine terrâ intercideret. Tam vi-  
 lis erat domus Arausionensis, Anglicanæ affinitatis, & Regii no-  
 minis consideratio; multo minus, quod sobolem & posteros il-  
 lorum remuneratorio affecissent honore, quorum Majores eman-  
 ciparunt Batavos. Talis stupor ante jam occupaverat populum  
 illum, & quidem moderante sceptrum Reginâ Elisabethâ; quâ  
 adhuc vivente, subtili quodam distinctæ Congregationis invento  
 arcebatur Angliæ minister destinatus secretiore consilio: Sub Ja-  
 cobo Rege cristas tollere, sub Carolo plane erigere, imo dominium  
 maris Britannici, quod à tot retrò sæculis possederat Anglia, in  
 dubium trahere, & juxta decempedam juris Romani metiri, in  
 gabellarum Angliæ perniciem, & ut liberius circa litora M. Bri-  
 tanniæ piscatione halecum incubare possent.

Nec hic subsistere permisit amor habendi: Uterius & eò pro-  
 gressi sunt, ut omne illud, quod M. Britannia possidet extra  
 Europam, illius habitatores injusto titulo possidere sibi idea men-  
 tali præfiguraverint; ideo solum, quia Batavi non erant. Com-  
 mercia Anglorum in Indiis, Gyinea & America minuere, & in to-  
 tum tollere nauci & flocci pendebatur, quasi natura in præroga-

civam aliorum Batavos solos Monopoliis beasset. Sic illi, qui com-  
 merciorum & maris usum liberum statuunt, illum sibi privative quo-  
 ad alios competere asserunt; dum sua sibi relinqui cupiunt, aliis sua  
 extorquent. Stella Batavorum Polaris videtur esse lucrum, ad quod  
 omnes ducunt lineas, nec tria verba inter illos effluent, quin mentio  
 proficui incidat. Prima ibi ab utili quaestio, & ubi obtinetur, facile  
 velando & fucando juri reperitur praetextus. Ubi Lusitani Brasiliam  
 ejecerant Batavos, summa injuria erat. Vertebatur haec plusquam  
 Ovidiana metamorphosis in summum jus, cum aliis in Guinea & In-  
 diis Orientalibus damnum inferrent. Tunc bene factum. Quid? *se*  
*esse in possessione illius loci Commerciorum; dum in his aliorum concurrer-*  
*tiam paterentur, invitari plures, & seca diminui.* Mentem Batavorum  
 ante paucos annos aperuere tractatus cum Piratis litoris Africani  
 conclusi. Non solum sibi vigilabant, quod omnibus licet. Eo poti-  
 us respiciebant, ut reliqui Europae Populi eo majori exponerentur  
 periculo, cum illud fulcarent mare; Hinc impediabant, ne & alii in  
 illam reciperentur securitatem. Imo & ipsi illi Babari cum pactam  
 intelligerent negotiandi libertatem, quam illis apud suos conces-  
 sissent; negabant id Confederati; penitius perspicientibus Piratis,  
*illos potius lucro, quam mutuae amicitiae intentos esse; imo nullos alacriores*  
*auri piscatores inveniri, quam Hollandos.* Lucrum quidem & circum-  
 ventionem cuius natura indulget, modo illud in alterius injuriam  
 non porrigatur, & haec intra debitos cancellos se contineat. Sed  
 quis astringet regulis homines liberioris aerae, & supra leges natos?  
 Aucupantur quodvis: Capiunt, quod obtinere possunt, *etalemque Deo-*  
*rum voluntatem, id vero esse injustum, quo vires non partingunt;* apud il-  
 los opinio increbuit. Nulla alia apud gentem hanc ratio, quod multa  
 Ordinis S. Johannis, & quaedam territorii Coloniensis, Cliven-  
 sis, Monasteriensis, & Ost-Frisiani de facto detineant. Optima & ul-  
 tima illius populi Panoplia est amor dilatandi Imperii, & quod in-  
 videant alienis. Forte sectae illius sunt, *quod DEUS omnia terrarum do-*  
*minia ab omni aeternitate Batavis destinaverit.* Particularis sane & pla-  
 ne nova haeresis; populo tamen auri cupido sancta & inviolabiliter  
 custodienda. Unicum esse animal, Crocodilum nimirum, quod aquam  
 & terram noceat, antiquitas credit. Si aliquot hujus saeculi nationes  
 cognovisset, habuisset socium crudele animal. Illos, qui semel fines mo-  
 destis transgressi sunt, gnaviter decet esse impudetes: & vulgi natura  
 est,

est, cū semel invaluit, omniā susque deq; miscere: Nihil sub sole magis rigidum, quā triumphans & gaudens rusticus, ac, si potentia adsit, sævus. Absit, quod hæc Batavis applicari possint: Pertinent talia ad interludium scenæ, fortuitò elapsa scribenti, Sed in orbitam.

Batavi, quasi effrenes facti multitudinē thesaurorum, quos in priemis Amstelodami cocervatos stupebis, quibus reverentiam Imperii imponere non potuerunt, terrorem incussere; ut & illi parere discant, qui metuere didicerunt; spretis Regibus, & contemptis aliis Rebus publicis, inter quas minores habent pro discipulis, Majores pro affectis. Imo etiam omnibus, licet anterioribus, præferri postulant; nixi potentia rerum, & terrarum divitiis, Serenissimæ Reipublicæ Venetæ illudunt, *quod illi umbra solum commerciorum remanserit, satis attrita bello Turcico.* Helvetios & Rhætos relinquunt montibus & cavernis suis, persuadentque sibi, *bellicosam illam gentem non tam formidabilem esse, sed solum natam, ut corpora aliis vendat, nec necessariam nisi vicinis, utraque Alpium esse custodes.* Emi illos à Gallis, *conduci ab Hispanis, quid aliud quam servitutis speciem esse? Genensium Rempublicam precarium trahere spiritum, bene ab Hispanis argento emunctam; nullo alio caractere pollere, quam quod Corsicam possident, insulam sterilem & minus beatam.* Reliquis Rebus publicis, ut *Geneva, Luca, Ragusa, nomina, non vim, supremi Imperii constare: ensontium interim mereri animum, licet pauperem, ad libertatem proclivem.* Parum aberat, quin & statum Angliæ, cum Reipublicæ imaginem sub Cronwello præ se ferret, eodem decorassent prædicamento; nisi opinionem in herbis suppressisset dictus Vir, aliàs tyrannus & rebellis, fed in eo sagax, & bene patriæ suæ consulens, quod Angliæ demonstraverit, quantum M. Britaniā & terra & mari possit. Trepidabant eo tempore Batavi; Videris tum utraq; manu arreptū fædus illud, quod Cronwellana factio præscriperat potentibus Batavis: Satis durū erat illū pro hoste agnoscere, quē Cronwellus damnasset; Accipiebatur tamen quovis pretio, ut solum illi symbolo apud illos trito evaderent; *Dum Collidimur, Frangimur.* Ab illo tempore rectius senosse cœpit Anglia, ita ut & monetis quibusdam aureis illud hodie imprimat: *Nos Penes Imperium Maris.* Et conversis in Batavos oculis, recepto Rege, restituta quiete, secum cogitare, *quare tantum permitti Confederatis; injurias tolerando novas invitari; quo magis pa-*

*sentia illorum linqueretur, tanto plus sibi detrahi; veri patientiam in  
 perniciem propriam ex natura vicinia, & populi satis perse avidi; iniquum  
 esse scire in propria viscera. Priusquam tamen aliquid susciperent, esti-  
 mandum fore, an, quod inchoatur, Republica utile, ipsis gloriosum, &  
 promptum effectu, aut cerè non arduum: Nihil enim à quoquam ex-  
 petitur, nisi cujus fructus ante providerit. Indecorum porro attre-  
 ctare, quod non obtineatur. Bene itaque trutinandam rem. Conven-  
 re consiliarii secretiore, convenere Parlamenti pares, & acutis inter  
 se dimicabant suffragiis, usque dum cōmuni consensu ita sentirent:  
*Ne mare quidem Britannicum securum, cujus dominium Anglia semper  
 habuisset: Inbiare alienis Batavos, illorumq; superbi am frustra per modesti-  
 am effugi. Velle haberi domitores Oceani, ambitiosos & avaros, & quos nec  
 Oriens nec Occidens satiaverit. Auferre falsis nominibus aliena. Britan-  
 nos quasi viles extra Europam estimari, & in excidium rapi. Salutem &  
 incrementum M. Britannia consistere in liberis commerciis, qua illi vel  
 turbassent, vel interceptissent. Loqui damna tot myriadibus constantia,  
 pro quibus jam aliquam obtulissent reparationem, sed noxe minimè pa-  
 rem. Fateri insidiatores delictum. Perulantia itaque & callidis Batavo-  
 rum machinationibus repagula ponenda, & nullum amplius esse cunctatio-  
 ni locum in eo consilio, quod non laudatur nisi peractum, & ubi perni-  
 ciosior est quies, quàm temeritas: Subsidium ab audacia petendam; multa  
 experiendo fieri, qua seignibus ardua videntur. Et quid tam egregium,  
 quam magnitudinem suam tueri justitia, sine cupiditate, sine impoten-  
 tia: Unam esse in armis salutem, & miseram pacem vel bello bene mutari.  
 Frustra metui Batavos, quorum collecti thesauri nec vulnerant, nec prote-  
 gunt, sed potius incitamenta belli sunt. Sibi esse cives, socios,  
 amicos, classes, regna, provincias, tributa, vectigalia, necessitates,  
 largitiones, simulque ita provisum, ut ratio questuum, & necessitas  
 erogationum inter se congruant. Sibi eandem cum Batavis navi-  
 gandi & belligerandi peritiam; parem, imo majorem, & maritimo consi-  
 etui magis aptam navium qualitatem, & quantitatem; satis virorum, vi-  
 rium, militum, nautarum: Omnem Anglicanum populum ex alacritate  
 hoc sumere bellum, & quasi naturà eò ferri. Esse & illud cauterium, per  
 quod maligni humores ex corpore educuntur; posse sub specie militiae sus-  
 petos & malevolos Anglia ejici. Nunquid & hoc proficuum? Commoda au-  
 tem & prerogativas Anglorum in eo stare: si vincerentur, superesse ter-  
 ram**

ram, quae adeo facile adimi non posset, tutum refugium, portus bene munitos, litora aditu difficilia, & fossa loco Oceanum esse; ac si ita includerentur, ut egredi non possint; suppeditare terram tantum annonae, quantum sustentando populo sufficit. Illa omnia apud Batavos esse contraria, ad quos in primis omnia, extra caesum & butyrum, invahi necesse est; & bello siue prospero siue adverso pretia alimentorum crescerent, quae multum populum atterunt. Ultra, apud Britannos minore impensa legi militem, qui & saepius gratuitus sit; & modico pretio construi naves, lignis suppetentibus ex propriis terris & vicina Norvvegia: Ubi ferro, chalybe, aere opus sit, certum amicum esse, satius subministraturum. Sicutum loci praeterea polliceri Victoria spem: Angliam custodire fretum & foramen illud, per quod Batavi, si Indias petere velint, reperere tenentur. Et si plura perpendere velint, adversarios emere, non legere militem; fluxis corporibus, & mutationem soli caeliq̄, haud tolerantem, & cui nec in victoria decus, nec in fuga flagitium. Mercede alitur, facilis occupantibus, melioribus incuriosus, pavidus adversis, & inter secunda nec divini nec humani juris memor. Et quod deterrimum, nullum illis certum adhuc militiae caput, consilia scindi in diversas partes, cum occasiones belli in momento temporis versentur. Sibi e contra esse Regem militum & hostium gnarum, per tot discrimina rerum invictum operis ac laboris, secundarum ambiguarumq̄ rerum scientem, eoque intrepidum; & quem non fugit, quis ordo agminis, quae navigandi, quae explorandi cura, quantum urgendo, trahendoque bello modus. Adesse Fratrem, principem Eboracensem, aetate & consiliis validum, qui loca prompta & occulta hostium nosceret, simulq̄ strenui militis & boni Ducis officio fungi posset, prorsus antiquis Principibus par. Adesse Principem Palatinum Rupertum, qui rei navalis ad amissim peritus, antehac cibo fortuito, veste & habitu vix à gregario milite dicognitus, & qui in ipso discrimine manu, vulnere, voce non semel sustentasset pugnam navalem. Alia etiam concurrere adminicula, amicitiarum nimirum, quibus & Imperii fundamenta innituntur. Omnes fere Europaeos Principes esse M. Britanniae amicos, nisi quod Hispaniae adeo fidendum non sit, implicite tamen motibus Lusitaniae.

Quod vero Batavos attinet; Recordari Gallos deserti federis in bello Hispanico, ut & quod non ita pridem improbassent tractatus Gallico-Lottharingicos. Arguunturq̄ habitae cum Fuchetto collisionis. Hispanum tectum & insensissimum esse Belgarum hostem, & nihil ab isto expectandum, nisi quod vulpes anseribus tribuere solent. Da-

ni illis non tantam gratiam debent, qui in novissimo bello Septentrionali  
 proprium potius utile ratione maris Baltici & Gabbellarum in fretu Baltico  
 quaesierunt, quam quod veram & realem assistentiam intenderent. Quid  
 de Corona Suecia sibi promittere possint, ipsi ex lege talionis sciunt. Lusita-  
 ni versus Belgas in Guinea & Brasilia mentem suam testati sunt. Quid re-  
 gulos Indiarum facturos putas, ubi cernerent, Belgium premiis Vicini Imperii  
 principes spem recuperandorum ponent in oppressione Batavorum. Forte  
 Populus ille foederis Gallico-Batavici de auxilio mutuo compellabit Galliã.  
 Forte ad consortium armorum ex eodem tono invitabunt Hanseaticos. Sed  
 uterq; declinabit choream: Dissonat enim chorda, & quaestio erit, an offensi-  
 vum an defensivum sit bellum: Nec Angliam offendi ex re illorum erit. Nec  
 tam bene videtur velle Francia Belgio, quod à paucis annis demonstravit il-  
 lo datio, quod appellant *Fasch, oder Tonnen-Geld*. Quod vero Hanseaticorum  
 potentiam concernit, illa tanti non est, ut Leonis Anglicani Jubam vellicare  
 possit. Omnes illas circumstantias quaevis fausta polliceri populo Anglicano,  
 quem & desuper exempla antiqua in bello felicitatis hortari: Robur militiae  
 Anglicanae navalis expertos fuisse olim Hispanos regente Elisabetha Regi-  
 na, quorum potentior quam unquam visa classis anno 1588. potius evanes-  
 vit, quam quod ullum tropei documentum ad posteros transmiserit: Testari  
 posse virtutem Anglitæ gentis Johannis Regis Gallie captivitatem, unde in  
 perpetuam memoriam in insigniis Principis Vallia pileus cum cristis con-  
 spicitur, quem tum Rex Francia in tentorio reliquerat, repertum: ab An-  
 glis afflictam Galliam fuisse, annales produnt. Et actum ferè fuisset de Gal-  
 lia, nisi illa magni nominis Virgo Aurelianensis nutu antem patriam ab im-  
 pendente liberasset excidio. Idem Rex Eduardus Tertius & Johannis Gallia-  
 rum, & Davidis Scotorum Regis simul captivi domitor extitit, & jam tū  
 demonstratum, quid Anglorum virtus possit, & quos sibi viros seposuerit.  
 Excitare illa documenta, imprimis cum de propulsanda injuria agatur.  
 Britanniam eo modo cottidie servitutem suam emere, cottidie pascere. Si-  
 ne Bello contra Batavos setutos esse non posse: nec ignavia contineri magna  
 imperia, virorum potius armorumq; esse faciendum certamen: & licet equi-  
 tate, quã sanguine; causa, quã armis, retinere sua Britanni vellent, ni-  
 mia tamen patientia nihil aliud hactenus perfectum, quam ut graviora in-  
 dies ex facili tolerantibus imponerentur. Proinde postquam satis mollibus  
 consultiis in anteriori etate peccatum, fortioribus agendum esse reme-  
 diis. Experrectus surgo, & somnium cum somno abiit.

F I N I S.